



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

16. Si aliquis puella invita traxerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

Si quis extraneo homine in loco filiorum adoptaverit.

XIII. Domino fratri illo ille. Dum peccatis meis facientibus, diu orbatu a filiis, & mihi paupertas & infirmitas afficere videtur, & te, juxta quod inter nos bonae pacis placuit atque convenit, in loco filiorum meorum visus sum adoptasse, ita ut dum advixero, victum & vestitum, tam in dorso, quam in lecto, seu calciamentum mihi in omnibus sufficienter impertias & procures, & omnes res meas, quasque habere videor, tam manso, vinea, prato, peculio, seu reliqua suppellectile domus mei, salvo jure ille, me vivente in tua potestate recipere debeas, propterea tibi hanc epistolam fieri decrevi, ut neque ego, nec nullus de heredibus meis, aut quicumque hanc convenientiam inter nos factam emutare non possit, sed sicut superius continetur, mea necessitate, dum advixero, debeas procurare, & omnes res meas & ad praesens & post meum discessum in tua potestate permaneant, & quod tibi exinde placuerit faciendi liberam habeas potestatem. Quod si aliquis hoc quoquo tempore emutare voluerit, inferat tibi tantum, & quod repetit vindicare non valeat, sed praesens epistola omni tempore firma permaneat.

Pactum inter parentes de eorum hereditate.

XIV. Quicquid enim inter propinquos de alode parentum, non a judiciaria potestate coacti, sed sponte, manente caritate, justè debita unicuique portio terminatur, non de rebus detrimentum, sed augmentum potius potest esse censendum. Et ideo necessè est inter se eorum facta scripturarum serie alligari, ne ab aliquibus in posterum valeat refragari. Ideo dum inter illo & germano suo illo de alode genitoribus eorum ill. & ill. bonae pacis placuit atque convenit ut eam inter se manente caritate dividere vel exaequare deberent, quod ita & fecerunt. Accepit itaque ille villas nuncupantes illas, fitas ibi, cum mancipia tanta illa similiter. De praesidio verò, drappos, fabricaturas, vel omni suppellectile domus, quicquid dici aut nominari potest, aequalentia inter se visi sunt dividisse vel exaequasse, & hoc invicem pars parti tradidisse, & per fistuca omnia partitum esse dixisse. Propterea praesentes epistolas duas uno tenore conscriptas locum pactonis inter se visi sunt conscripsisse, ut nullus deinceps contra pare suo, nisi quod ad praesens accepit, de ipsa alode

genitore eorum amplius requirendi pontificium habere non debeat. Quod si aliquando aliquis ex ipsis aut heredes eorum hoc emutare voluerint, aut amplius requirere quam accepit voluerit aut adsumere, inferat pari suo ista tuta servanti auri libras tantas, argenti pondus tanta, & quod repetit vindicare non valeat, sed praesens pactio omni tempore firma permaneat. Stipulatione subnexa. Actum.

Libellum dotis.

XV. Quod bonum, faustum, felix, prosperumve eveniat. De disponendis maritalisque ordinibus, ac procreatione liberorum, causis quae stant necesse est, ut omnia, etiam donatio, per scripturarum seriem pleniorum obtineant firmitatem. Donat igitur ille honestae puellae ac nurui suae illae, sponsa filio suo illo, ante die nuptiarum, donantisque animo transfert atque transcribit, hoc est, in tanto dono villa nuncupante illa, sitam ibi, cum domo condigna ad habitandum, vel omni integritate ibidem aspiciente. Similiter & in dotis titulum alias villas nuncupantes illas, fitas ibi, mancipia tanta illa & illa, inter aurum & argentum, fabricaturas in solidos tantos, caballos tantos, boves tantos, gregem equarum, gregem armentorum, gregem porcorum, gregem ovium, ita ut haec omnia per manu sua ad superscripta puella nuro sua illa ante die nuptiarum debeant pervenire & in sua dominatione revocare, vel quicquid exinde facere voluerit liberam habeat potestatem. Quod si quis contra hunc libellum dotis venire & eum infringere conaverit, inferat partibus ill. tantum. & reliqua.

Si aliquis puella invita traxerit.

XVI. Dulcissima conjuge mea illa, ille. Dum & te per voluntate parentum tuorum habui disponatam, & absque tua vel parentum tuorum voluntate, rapto scelere, meo conjugio sociavi, id est, dum & te faciente conturno contra voluntatem parentum tuorum rapto scelere in conjugio sociavi, unde vitae periculum incurrere debui, sed intervenientes sacerdotes vel bonis hominibus vitam obtinui, sic tamen ut quod tibi in tanto dono, vel in dotis titulum, ante die nuptiarum, si te disponatam habuisses, conferre debueram, per hanc epistolam compositionalem aut, si convenit, cessionem firmare deberem. quod ita & feci. Ideoque dono tibi locello nuncupante illo, situm in pago illo, cum domibus ad manendum coadignis, vel

omnia intrinsecus utensilia necessaria, cum terris, accolabus, mancipia tanta illa, vineis, silvis, pratis, pascuis, vel reliquis quibuscunque beneficiis, caballos tantos, boves tantos, gregem equorum, gregem armentorum, gregem porcorum, gregem ovium, inter aurum & argentum, fabricaturas in solidos tantos, drappos tantos, hæc omnia superius comprehensa à die præsentis in tua tradidi potestate & dominatione possidendum, habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegeris faciendi liberam habeas potestatem. Si quis verò. & cetera.

Qualiter in uno volumine testamentum duarum personarum condatur.

XVII. Regnante in perpetuo Domino nostro Iesu Christo, loco illo, anno illo, regnante illo Rege, sub die illo, ego ille & conjux mea illa sana mente integroque consilio, metuentes casus humanæ fragilitatis, testamentum nostrum condidimus, quem illi notario scribendum commisimus, ut quomodo dies legitimus post transitum nostrum advenerit, recognitis sigillis, inciso lino, ut Romanæ legis decrevit auctoritas, per illustres viros illos, quos in hac pagina testamenti nostri legatarios instituimus, gestis reipublicæ municipalibus titulis eorum prosecutione ab ipsis muniatur. Igitur cum jubente Domino de istius vitæ cursu migraverimus, tunc quicquid in omnibus prædie quam moriamur tenere videmur, quicquid ex proprietate parentum, vel proprio labore, seu ex munificentia à piis Principibus percipere meruimus, vel de quibuslibet titulis atque contradibus venditionis, cessionis, donationis, vel undique Domino adjuvante ad nostram pervenit dominationem, tu tunc dulcissima conjux mea illa, heredes quoque meos quos esse volo, hereditatem meam habetote. Reliqui verò ex heredes sint. Ergo excepto quod unicuique per hoc testamentum dederò dareque iussèro, id ut fiat, detur, præstetur, impleatur, te, omnipotens Deus, testem committo. Villas verò illas & illas, sitas in pago illo, filius noster ille recipiat. Similiter villas illas sitas in pago illo filius meus vel filia illa recipiat. Villas illas basilica illa vel monasteria sitas ibi recipiat. Id ut fiat, detur, præstetur, impleatur, te omnipotens Deus ad defensandum committo, licet de omnibus, dum advivimus, nostrum reservavimus usum. Sed dum in villas aliquas, quas superius memoravimus, quas ad loca sanctorum heredibus

nostris deputavimus, quod pariter stante conjugio adquisivimus, prædicta conjux nostra tertiam inde habere potuerat, propter ipsam tertiam villas nuncupantes illas, sitas in pagos illos, in integritate, si nobis subprestitis fuerit, in compensatione recipiat. Et quicquid exinde pro commune mercede, vel in pauperibus, aut benemeritis nostris facere decreverit, licentiam habeat. Et post ejus discessum, si aliquid intestamentum remanserit, heredes nostri recipiant. Liberos, liberam, quos quâsque pro animæ remedium fecimus, aut inantea facere voluerimus, & eis epistolas manu nostra firmatas dederimus, obsequium filiorum nostrorum habere cognoscant, & oblata vel luminaria, juxta quod ipsas epistolas continent, ad sepulchra nostra tam ipsi quam proles eorum implere studeant. Et quibus aliquid de facultate nostra contulimus, singulariter in hoc testamentum nostrum inferere curavimus. In reliquo verò, qualescunque à quocunque epistolas de nomine nostro manus nostras firmatas ostensas fuerint, & ante hoc testamentum prænotas, quas hic non commemoravimus, excepto de ingenuitatibus, quas pro animæ nostræ remedium fecimus aut adhuc facere voluerimus, vacuas permaneant. Et qui ex nobis pari suo suprestitis fuerit, & per qualescunque instrumentum de superscripta facultate in cuiuslibet persona vel benemeritos nostros munere aliquid contulerimus, in quantum lex permittit, firma stabilitate debeat perdurare. Reliquas verò epistolas vacuas & inanis permaneant. Et sic nobis pariter convenit, si tu mihi, dulcissima conjux, suprestis fueris, & ad alio marito, quod tibi Deus non permittat, transire volueris, omnem facultatem meam, quod ad usu fructu possidere tibi concessimus, vel quod à die præsentis deputavimus, & habere potueras, hoc præsentiter heredes nostri recipiant inter se dividendum. Itémque ego illa ancilla tua, Domne & jugalis meus ille, in hoc testamentum promptissima voluntate scribere atque perpetua conservatione rogavi, ut si tu, Domne & jugalis meus, mihi suprestis fueris, omni corpore facultate mea, quantumcunque ex successione parentum habere videor, vel in tuo servitio pariter laboravimus, & quod in tertia mea accipi, in integrum, quicquid exinde facere elegeris, aut pro animæ remedium in pauperes dispensare, aut ad vassos nostros vel benemeritis